



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Relaxatio maioris & minuti seruitij per quatuor annos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

quod in Muta nostra *Vilshouen*, vinum ipsorum sine exactione liberum habeat, transicum & securum siue per terram transeat vel per aquam. Vt autem talis nostra donatio ipsis permaneat inconuulsa, presentem litteram cum sigillo nostro roboratam ipsis in testimonium tradimus & donamus. Acta sunt hæc in *Osterhouen*, anno Domini, M, CC, LVI, IV, Idus Decembris.

Relaxatio maioris & minuti seruitij per  
quatuor annos.

**B**erchtoldus Dei gratia *Babenberg*. Episcopus. Vniuersis præfens scriptum inspecturis salutem in Domino. Quia viri venerabiles fratres Monasterij in *Osterhouen*. nobiscum & cum nostris fecerunt expensas sumptuosas. Nos ad recompensationem ipsis fratribus faciendam concessimus eis vt duos mansus de quibus pensionem seu censum annuum nobis soluunt teneant, à festo Natiuitatis Domini nunc instanti per quatuor annos continuos ab omni censu, pensione & seruitio maiori & minori, liberos & quietos. Quibus annis peractis soluant pensionem & seruitium maius. A minori verò seruitio perpetuo sine quieti. In cuius rei testimonium præfens scriptum ei dedimus nostri sigilli munimine roboratum. Datum *Osterhouen* anno Domini M. CC. LIX. XI, Kalend. Ianuar.

Relaxatio minuti seruitij de duobus  
hubis.

**N**OS *Berchtoldus* Dei gratia *Babenbergen*. Episcopus. Tenore præsentium constare volumus vniuersis, quod nos attendentes grata & sumptuosa seruitia, quæ viri religiosi fratres Monasterij in *Osterhouen*, nobis & nostris familiaribus frequenter impendunt. Concedimus ipsis vt de duobus mansis quos sub censu annuo & seruitiis à nobis tenent certis minora seruitia sibi retineant, & ab ipsorum præstatione perpetuo sint immunes, maioribus seruitiis nobis remanentibus in statu debito & consueto. In cuius rei testimonium præsentem paginam eis dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Datum anno Domini M. CC. LIX, XI. Kln. Ian.

De annis quibus cessauit Aduocatia,

**N**OS *Berchtoldus* Dei gratia Episcopus *Babenberg*. Vniuersis tenore præsentium volumus esse notum quod super dissensione quæ inter nos & nobilem virum *Albertum* de *Hals* oriebatur talis ordinatio interuenit. Primum quidem dictus *Albertus* cessit omni iuri, quod sibi in cürte nostra *Mulbaim* vendicabat, & eam nobis dimisit in perpetuum liberam & quietam. Item homines nostros vniuersos, & homines Monasteriorum in *Osterhouen* & in *Aspach* in quibus ipse ius aduocatiæ à nobis tenet, dimisit liberos & quietos ab omnibus hospitalitatis & steurarum incommodis, ac aliis quibuslibet vexationibus. A festo Purificationis proximo per duos annos continuos, sed tamen antiquum & debitum aduocatiæ ius debet percipere ab eisdem. Item nullos de seruis locabit in foro *Osterhouen*, sed & locatos remouebit, præter eos qui proprietatem seu feoda hereditaria ibi tenent, nec ibidem ii tabernas exercebunt nec alias erunt hominibus nostris graues. Adhuc super iure quod ipse al. dicit se habere in